

Hallerius:

Commentatio
logica de
interpretatione
hinc per
omnium 15
scripturarum
scriptorum . . .



J-10. num. 5.

6
784

IOH. CONR. HALLWACHS
JUR. LIC. JUDICII CRIMINAL. ASSESS.
PERILLUSTRIS REGIMINIS ADVOC. ET
PROCURAT. ORDIN.

COMMENTATIO LOGICA
DE
INTERPRETATIONE
PER OMNIUM DISCIPLINARUM FUNDUM
GRASSANTE NECESSARIA PROFICUA EX
GENUINIS PRINCIPIIS PROPOSITA.

G I E S S Æ, Kc 104
Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.
MDCCXLV.



JOH. CONR. HALITMACHER

1741 12 12 LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN
PERPETUAL LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN

KLEINSCHMID. *praeogn. Jurisprud.*

Tr. 5. Sect. 3. n. 136.

Quidquid meditaris, legis, scribis, revoces ad normas articulatas logicas, & cogites, an cum iis congruat nec ne.

MORHOF. *Polybiſt. l. 2. c. 11. n. 13. 14.*

Neque sententia mea refragabitur, qui perpendet, quanta Analytica, quanta hermeneutica utilitas sit, qua geminae logicae propagines per omnem disciplinarum fundum adhaerent. In quibus hodieque, quæ desiderent, docti habent.



VIRIS
PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS ET
EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

DOMINO

K I L I A N O
DE SCHWARZENAW

SERENISSIMI HASSIÆ LANDGRAVII
ADMINISTRO STATVS INTIMO
CANCELLARIO SPLENDIDISSIMO
AD CIRCULI RHENANI SUPERIORIS
CONVENTVS LEGATO
SUMMOQUE RERUM FEVDALIVM
PRÆPOSITO

ET

DOMINO

IOH. JACOBO
DE WIEGER

EJUSDEM SERENISSIMI HASSIÆ PRINCIPIS
MINISTRO STATUS INTIMO
SPLENDIDISSIMO
ET VARIORUM DICASTERIORUM PRÆSIDI
GRAVISSIMO
ALMÆ LUDOVICIANÆ CURATORIBUS
VIGILANTISSIMIS SAPIENTISSIMIS
Hujusque FULCRIS FIRMISSIMIS

A 2

MERI.

MERITORUM MAGNITUDINE MAXUME
CONSPICUIS HEROIBUS TOGATIS
STUDIORUM MÆCENATIBUS OPT. MAXUMIS
SUARUM DENIQUE TENUIUM MUSARUM
PROTECTORIBUS AC PATRONIS OMNI
OBSEQUIO
AC OBSERVANTIA DEMERENDIS
HANCCE COMMENTATIONEM LOGICAM
SUBMISSÆ GRATISSIMÆQUE MENTIS
INTERPRETEM
PRO PLURIBUS INSIGNIS GRATIÆ DOCUMENTIS
SIBI SUISQUE EXHIBITIS
HUMILLIMA VENERATIONE TRADIT
AC OFFERT
INSIMULQUE VITAM INOFFENSAM
NESTOREOS ANNOS PERENNEM FELICITATEM
QUAM EXACTA SECULA INVIDEANT
NOSTRA TEMPORA MIRENTUR
POSTERITAS VENERETVR
NON APPRECATVR MODO SED ET SE SUAQUE
STVDIA
PATROCINIO GRATIÆQUE
QUIBUS USQUE HUC FRUITUS EST
ULTERIUS SUBMISSE COMMITTIT
*PERILLUSTRIUM GENEROSISSIMORUM
EXCELLENZISSIMORUMQUE NOMINUM*

CULTOR OBSEQUIO NULLI CEDENS

AUTOR.

Q. D. B. V.

M^urum B. L. videbitur, me pagellas hasce levi *Discursus* denses materiae consecrassae logicæ. Tantum *preliminaris*. enim abest, ut quilibet forsitan fidem in præfamine Thesum mearum inauguralium de Jud. cent. & provinc. datam impletam exspectaverit avide; ut potius præterea tacita mentis æstimatione perpendere, qui fiat, quare otia in elaborandis criminalibus non consumserim, cum officium, quo in præsentiarum fungor, commodam toto die præbere valeat occasionem. Ast major non modo, quam promisi, centenarum disquisitio elaborata scrieniisque adservata publici fiet juris, quamprimum jussus illam comitabitur superior idemque clementissimus; sed in criminalibus quoque, si quidem Deus vitam majoraque concederit otia, L. B. satisfacere studebo.

§. II.

Nec Jus civile, publicum, germanicum, feudale, nec criminale &c. sunt illæ tantum scientiæ, quibus operam dedi indefessam; multum insimul temporis consumsi desudando in principiis philosophicis. Philosophia est, quam beatus meus cognatus post cineres colendus HALLWACHS moral. & histor. Prof. publ. Tubing., animo meo inculcare studuit, quam in deliciis usque quaque

A 3

habui,

habui, quam & in posterum admirabili inflammatus studio nunquam ex oculis, ex manibus, ex sinu deponam.

§. III.

Necessitatem juxta ac utilitatem logices * metaphysics, moraliumque non illis modo Nobilibus, quorum juventuris studiorumque in acaemniis moderatorem existere licuit, sed & quibuscumque singularibus usque quaque ornavi encomiis.

* MEVIVS prodr. J. N. & G. insp. 9. §. 8. indignum, inquit, JCti titulo judicabimus, qui non intimora logices cognita habet, sibique familiaria reddidit præcepta.

§. IV.

Ratio infinita Non heri adeoque aut nudius tertius ad meditationes accessi philosophicas, quas inter illa cum primis, quam haut ita pridem in exponenda Jurisprud, naturali & quidem ad ductum PVFFEND. de O. H. & C. circa materiam interpretationis l. i. c. 17. cum Da. Dn. Auditoribus meis selectis sane ac assiduis communicaui, commentationem hancce conscribendi occasionem præbuit,

§. V.

Neglectus interpretabilis Hermenevitcam olim ab omnibus Logicis & Criticis neglectam fuisse, quis est, qui dubitaverit. Testes namque gravissimi hoc comprobant assertum. Conf. CLAV. BERG. logic. THOMASIVS in philos. aul, SCHNEIDER in fundam. phil. rat.

§. VI.

Quanquam Aristoteles librum *περὶ ἐγμνῆς* conscripsit, materia tamen interpretationis ibi non pertractata deprehenditur, quæ L. B. satisfacere valeret ex affe; prudens

prudens potius quivis terum astimator non inficias
ibit, præter doctrinam enunciationis nihil ibi expo-
situs fuisse. Cum vero Enunciatio, judicium mentis
verbis expressum audiat, facile cuivis erit perspectu, her-
meneuticam nondum illa esse exhaustam.

§. VII.

Qua in enunciatione omnes eousque acchievere,
donec tempore mediæ avii Theologi Sacras literas & JCti Neglectus
Leges interpretari coepere. Ut defuerint vires, tamén fontium.
fuit laudanda voluntas. Mediis interpretandi veris fuere
destituti: qui aliter fieri potuit, quam ut omnes cona-
tus minus prospere successerint. Quam animadversionem
corroborat Ill. D. D. BOEHMER vir sane nulli eruditione
cedens in disputat, de interpret. facienda contra eum, qui cla-
vius loqui debuisset. Ast, inquit ibi §. 2., quot verba, tot sco-
puli, ut nihiljam dicam de applicatione, sola interpretatio tot
fluctus hactenus peperit, ut si quis principia hujus doctrina ex
ingentibus D.D. voluminibus petere vellet, iter incertum & pe-
riculosum ingredi deberet. Deprehendebant quippe veteres
JCti, doctrinam hanc JCto omnino necessariam esse & jura
sine hujus subfido intelligi non posse; verum fontem hujus do-
ctrina aliunde petebant, & sic fluctuantes frustra ad vera prin-
cipia pervenire poterant, plerique destituti erant principiis phi-
losophiae rationalis &c. accedebat, quod omnis sapientia the-
saurus latere in jure Romano credebatur &c. (Conf. Idem
d. l. §. 4.)

§. VIII.

Felix ætas recentior, qua Logices commentatores Restauratores
disciplinam a corruptelis repurgavere hermeneuticam qui sint?
Fusca repurgato fugiebant nubila cælo.

Ovid. met. §. 286.

Quos

De **J. B.** & Quos inter familiam in primis duxere **GROTIUS** ille
P. I. 2. c. 16. & **PVFFENDORFIVS** omni studio annisi, ut Jus Nat.
J. N. & G. juxta ac doctrina hermenevtica restaurarentur. Nomini-
O. H. & C. ne Restauratorum vere insigniuntur de emendandis defe-
I. 1. c. 17. cibus mirum in modum solliciti (*Magnificus Dn. Rector*
AYRMANN, in pref. erud. des *Gundlings Erläuterung über*
Puff. de O.H. & C. uti & in Disc. präl. infin.) quos secuti sunt
THOMASIVS in *Jpr. div. I. 2. c. 1. 2.* **CLAUBERG** in *log.*
P. 2. c. 4. 5. *Perillustr. de WOLFF*, in den *Gedancken von den*
Kräften des Verstands, aliisque (*CLERICVS in arte crit.* &
STRUVIUS in bibl. phil.)

§. IX.

An in Juris- Hermenevticam plane neglectam (§. 5.) aut ex ge-
prud. nat. do- genuis fontibus non expositam (§. 7.) **Grotium**, **Puffen-**
etrina herme- dorffiumque restaurasse, (§. 8.) quilibet magni habebit,
neut. pertra- hodieum vero principia negligi ac spenni dolebit (**BOEH-**
Hari possit: **MER. d. l. §. 6.**) rationem, quare in Jurisprud. nat. de ea
laudati restauratores egerint? insimul petiturus.

§. X.

Necessitas a- Nulla quidem existit disciplina, in qua de interpre-
que ac utilitas tatione dici non possit; cuilibet usum præbere singularem
estenditur. ac necessarium in propositulo est. Nec Philosophi, JCti,
Medici, nec Theologi illa supersedere possunt. Leges,
pacta, testamenta & negotia quæcunque dictis vel scri-
ptis absoluta sapissime sine ea recte intelligi nequeunt.
Homines percipere non licet, nisi ex signis externis, quæ
valde diversa existunt; sapissime accidit, vt signa ista vo-
luntatem disponentis, loquentis aut scribentis non satis
declarant, cum longe plura sint negotia quam vocabula,
finisque

() , ()

finisque actionis, ex quo de intentione agentis constat,
multiplex esse possit; quis est adeoque, qui de necessitate
et que ac utilitate dubitaverit (CICERO in Bruto cap. 13.
M. OERTEL in erudite conscripta & sub praesidio CHR. GO-
DOFR. HOFFMANN Lipsiae ventilata diff. de ratione interpr.
Leg. imp. Rom. Germ. publ. cap. I. §. 1.

§. XI.

Interea Restauratores in Jurisprud. nat. interpreta-
tionis principia docuisse haecque ad illam applicuisse ne-
mo adprobabit. Logica & ars critica subministrant re-
gulas interpretandi, neutquam Jus Naturæ, id quod
unicum saltem inculcat officium, scilicet, ut ita inter-
pretemur verba, ne alterius juri quæsito aliquid dero-
getur. Leges naturales nulla indigent interpretatione.
Est enim voluntas Dei hominibus sufficienter declarata
(LOCK de intell. hum. lib. 1. c. 3. §. 11. 12. 13. THOMA-
SIUS fund. J. N. & G. lib. 2. cap. 12.) Jus Nat. bellum in-
terdum suadet, quod ceu medium coactum interpre-
tatione opus non habet (TREUER in nota ad Puf. de O. H.
& C. cap. 17. §. 1.

Carpuntar
Restauratores,
quod in Juris-
prud. nat. in-
terpr. docue-
runt.

§. XII.

Logica versatur circa veritatem, ostenditque non
modo, qui meditando illa percipi possit, sed & ut
percipiatur intellectum reddit idoneum. Cum ve-
ro doctrina hermenevtica tantum ingenio, pruden-
tia judicioque alicujus hominis nitatur, horumque
ope finis hermenevticus in exutiendo vero sensu ali-
enorum sive dictorum sive scriptorum fundatus ob-
tineatur, facilissime quivis colligere poterit, hermenevti-
cam principiis & regulis logicis subjiciendam esse. Et
quanquam Titius in arte cogitandi non consenserit, re-

In logica pri-
cipia herme-
nevtica qua-
renda sunt.

B

centiores

centiores hermenevitcam ad logicam traxisse ; tamen illius argumentis eo minus ad stipulabor , quo infirmiori stant talo ; si bene dictinxisset inter principia & applicationem , melius docuisse ; principia semper ex logica pertenda sunt , qua regulas suppeditat interpret : generales , speciales ac per circumstantias singulas determinandas cuique disciplinæ relinquens . Interpretis non est de veritate vel falsitate sermonum judicare , quod ratione formæ quicquam inferendi analyticis (infra §. 13.) incumbit , nec dicendo explicando orationem commendare , id quod oratoris est , nec ostendere , ad quæ principia voces ipsæ aut phrases revocandæ sint , utpote quod solius grammatici est , potius præmissis his ceu mediis , quid sermone aliquo intendatur , primo quidem recte intelligere & dehinc aliis quoque certis ex indiciis ac argumentis , perspicuum reddere . Philologiam , historiam , media saltem existere , quibus intellectus noster ad interpretationem utitur , infra §. 33. ostendetur . Quibus calculum addit album RAMBACH in der Erläuterung über seine instit. hermen. in proleg. die Art , inquit , interpretandi per se gehöret ad logicam , dann diejenige disciplin , welche lehret , wie man sich rechte ideen von den Dingen machen solle , die lehret auch , wie man ideas ab aliis formatas & scriptis expressas interpretieren solle . In censem eorum , qui in logica doctrinam explicaverent hermenevicam referri merentur , Perill. de WOLFF. d. l. THOMASIUS d. l. LEHMANN. in der Vernunft Lehre , CLAUBERG &c. (WALCH. im philosoph. Lexico voc. Auslegung .)

§. XIII.

Ne vero & ipse contra regulas peccem Logicas ul-
terius progrediendo , liceat inquire in *Etymologiam* * *Synonymia her-*
Hermenevitica, quae sane originem debet verbo græco
ἐρμηνείειν, interpretari, *auslegen*, quam vocem iterum de-
finuare volunt ab *ἐργος*, Ethniciis Deorum nuncio , ho-
rum voluntatem annunciantे, qui alias nomine Mer-
curii insignitur , & *Synonymiam*, ubi facile cuius perspicere
licebit , interpretationem ac hermeneviticam existere Sy-
nonyma. Ad *Synonymiam* quoque referri posset *Analysis*,
(qua voce plerique hodie uti solent) hinc er hat den Text
analyſirt, quae nihil, nisi interpretationem indicat , cum
αναλύειν, resolvere , mentem autoris exponere , denotet,
inde dicta est methodus resolvens , resolutiva (CLERI-
CUS in *oper. phil. log. P. 3. c. 4.*) Caveas vero , ne cum A
nalyſi hermenevitica confundas aliam denotationem con-
sueta huic nostræ Etymologiæ plane contraria acceptam ,
cum plerumque ille ordo in cognoscenda & proponenda
veritate intelligatur , quo ex particulari ad universale , ex
conclusionibus ad principia , sive more peripateticorum
ex fine ad media progrediuntur (THOMASIUS erot. log.
c. 53. CLERICUS in *log. P. 3. c. 1* sqq. GUNDLING in
via ad veritatem P. 1. p. 91. sqq.)

* Beno monet ULPIANUS i. i. pr. ff. d. Jur. & Just. ante omnia
rei alicuius operam datum , unde nomen descendat , quidque
sit , nosse oportet.

§. XIV.

Quibus præmissis progredimur ad definitionem. *Definitio.*
Multifariam Hermenevita definitur. Aliis dicitur expli-
catio eorum , quæ ab Autore vel brevius vel obscurius ,

B 2

vel

vel negligentius dicta sunt, probabilis vel verosimilis HEINECCIUS *Elem. log.* §. 239.) aliis pars philosophiae instrumentalis, quæ signa, quibus alii in cogitatis suis exprimendis utuntur, præsertim verba ita declarare & interpretari docet, ut de Autorum mente certi reddamur (BUDDEUS *phis. instr.* P. 1. c. 1. §. 2.) aliis collectio mentis ex signis maxime probabilibus (GROTIUS l. 2. c. 16. §. 2. aliis diejenige Geschicklichkeit oder Würkung des Verstands, da man aus eines andern Reden oder Schriften dessen eigentliche Gedancken zu erforschen und zu erkennen suchet, (WALCH. d. 1.) Omnes hasce definitio-nes penitus intuiturus consensum in eo deprehendet, quod sit accurata atque perspicua signis ut plurimum probabilibus aut verbis nixa collectio * mentis alienæ dubiæ obscurius aut dif-ficilius expressæ.

* GRONOVIUS in not. ad Grot. c. 16. l. 2. § 1.

§. XV.

Ratio ante omnia babenda est definitionis. Attentionem menti comparatam primum eo dirigen-dam esse, ut pro naturæ suæ qualitate cuncta clare ac e-videnter perspecta sint, sive ut nihil admittamus, nisi cu-jus idea luculentius fuerit exposita, docent logici; id quod efficit *definitio (judicium mentis de natura aliquius rei)* & quidem vel *nominalis* (§. 13.) unam sive alteram tantum rei notam, qua ab omnibus aliis potest dignosci, adse-rens, id quod fieri potest per *Synonymon* significantius, quo utuntur glossarii, per *Etymon* vocis (§. 13.) vel *realis*, quæ naturam rei distinctius explicat, & quidem perfecte (§. 14.)

vel imperfekte (§. 14.) Perillus de WOLFF. *comm. de meth. math.* P. 7. *præm. T. 1. Elem. Matth.*

§. XVI.

Docent quoque logici nihil prætermittendum esse, *Post divisionis.*
in quo non partes ac idex accurate a se invicem fuerint
distinctæ, quo referri potest divisionis artificium (de
CROUSAZ *essai de logique*) cui eadem adscribenda erit
utilitas, quæ definitioni, ex distinctione accurata oritur
quoque evidens cognitio, ordinique inservit justo di-
visio.

§. XVII.

Quemadmodum ergo interpretatio fieri potest, ut *Divisio ipsa.*
verba vel secundum originem, ordinem & significationem
explicantur, vel ut res ipsa cum ipsis circumstantiis,
quas verba suppeditant, æqua ponderetur lance; ita prio-
ri modo hermenevtica erit grammatica, posteriori logica,
quæ prout applicatur, historica, juridica, theologica,
medica &c. existit (§. 12.) declarativa quoque & hæc ite-
rum vel extensiva, vel restrictiva pro re nata fit; eas quas
divisiones excipere potest interpretatio *arcana*, cuius men-
tionem facit WALCH. d. l. diese, inquit, uweiset, daß
unter dem Wortverstand, uwelcher ohnmittelbar vor Augen
lieget, noch etwvas anders verborgen stecke, uweleches durch
die vorgetragene Sachen bedeutet uverde; ea quæ, si paulo a-
liter accipiatur, in interpretatione Legum publicarum
egregium adferre potest usum, reipublicæ namque statum,
personarumque eam moderantium inclinationes, arca-
na consilia partiumque studia ut interpres sciat, necessa-
rium proficuumque erit, quanquam paucis liceat adire

B 3

Corin-

Corinthum (MULLER Reichstags Theatr. sub Maximiliano
P. II. p. 353.

§. XVIII.

Hermenevtica est collectio mentis alienæ accurata & perspicua. Ex quibus prono fluit alveo, ut 1) dubitativa non sit declaratio sensus, declaratio potius ignorantia 2) status materiae exponenda bene ac perspicue intelligendus sit, ne frustra per ea, quæ ad rem investigaram nihil attinent, divagemur (CLERICUS d. l. CIC. in orat. c. 33.) Ad accuratam vero juxta ac perspicuam collectiōnem mentis alienæ requiritur, ut interpres textum explicandum integrum, incorruptum probe cognitum & perspectum habeat, ac in originali & lingua avthentica* contempletur; pleraque enim editiones gravioribus scatent naves, immo in illis quandoque deprehenduntur lacunæ ac amissiones; exemplo inseruire possunt Recessus imperii nostri Rom. Germ., quorum naves ** insigniores nota-
vit MAURITIUS in diff. de Rec. imp. §. 37. & 38. ut 3) aliena verba sive ore prolatæ sive scripta sint interpretan-
da, non propria.

* Legi merentur perillustr. LYNCKER in idiomate imperiali FRITSCH de jure Archivi & supra laudatus D. OERTEL.

• Silentio hic non esse prætermittendum duco, Perillustren de SENCKENBERG, Sacr. Cæsar. Majest. a Consiliis Imp. aulicis, & cel. D. SCHMAUSIUM viros eruditione singulari ubique locorum conspicuos nostra ætate Recessus diétos a nave repurgasse innumeris. Tantas sane his persolvere non possumus gratias, quantas pro opera hacce proficia, debemus.

§. XIX.

Rejicitur inde ~~alio~~ *Cum adeoque verba aliena non propria explicanda
terpr. avthen- sunt (§. 18.) liquet, quare supra interpretationem, quam
tica.* ~~alio~~ *vocant*

vocant authenticam omiserim ; tantum abest , ut ad regulas hermenevicas adstringi possit; ut potius voluntatis novæ declaratio quam prioris explicatio audiat. Quærimus non sensum proprium , quod hominis insipientis vel somniantis esset , sed alienum (§. 14.) interpretatio itaque authentica ignis est frigidus & huc non pertinet (EYBEN de interpr. leg. ad pias causas) Vacillat quoque regula : quilibet verborum suorum interpres. (KLEINSCHMID præcogn. Jurisprud. tr. 4. sect. 6. n. 4.)

§. XX.

Mens aliena colligenda est ex signis (§. 14.) signa cogitationum sunt verba , sive ore prolatæ sive scripta his vel singulis vel illorum integro sensui & contextui adhiberi potest interpretatio (BUDDEVS phil. pr. §. 16. c. 4. §. 4.)

§. XXI.

Quemadmodum signa cogitationum verba sunt (§. 20.) verba vero , quibus utimur in scribendo vel loquendo vel popularia vel technica audiunt : ita priora usque quaque intelligenda sunt in proprio suo & famoso significatu (PUF. de O. H & C. c. 17. §. 2.) quia nihil tam naturale est , quam ut verba interpretemur , sicut fert communis usus & significatus (§. 17.) verba enim valent ut numeri , ususque linguarum tyrannus .

Vnde mens aliena colligatur?

Verborum distinctio.

§. XXII.

Ubi interpretatio fieri debet ex usu populari , quem Interpretatio penes arbitrium est , & jus & norma loquendi ; ibi ex usu verborum lat Etymologia , analogia grammatica , derivationisque popularium conformitas (GROTIUS d. I. §. 2.) quodsi enim ad vocem

cum

cum analogiam semper attenderetur, plurima vocabula alium haberent sensum, quam habent in populari usu. e. gr. Tyrannus nobis est pessimus imperans, illi vero, qui vocem hanc Etymologice accipit, dicitur Rex. * Ita si nostro $\pi\omega$ alterum quis nominaret Schuft, injuria illum afficeret, cum vox hac etymologice sumta significet Judicem. **

* Græcis Rex dicebatur, τυράννος, postea nomine Tyrannorum insigniebantur illi, qui potestate erant perpetua in ea civitate, quæ libertati afflueverat, cum vero sèpius abusi sint potestate, qua pollebant, nomen unicum re abiit in odium SCHON-BORNER polit. lib. 2. c. 37. CASP. SAGITTARIUS de Tyranno.

* Schuft olim honestum, nunc pro injurioso habetur, habet originem a scophet, quod judicem significat, CHRIST. GASTEL. de statu publ. Europa P. 1333. n. 28.

§. XXIII.

$\epsilon\zeta$ Technico-
rum.

Quævis disciplina & ars sive liberalis sive Mechanica vel illiberalis peculiaribus gaudet terminis. Habent Theologi, Jurisconsulti, Medici, Philosophi & denique quique Artifices peculiares Terminos, peculiaria vocabula, quibus hoc vel illud significant, Termini tribuuntur artificibus indocti, Doctoribus vero docti, & sunt vel universales vel particulares (MENAGIVS ad Diog. Laert. l. 3. segm. 63. RUDIGER de usu & abuso Term. techn. in philos.) sicuti vero popularis usus, popularia interpretatur vocabula (§. 21. §. 22.) ita quoque definitiones vocabulorum artium aut technicorum a prudentibus secundum illud: unicuique in arte * sua credendum: sunt petendæ. Dialecticorum verba nulla sunt publica, suis utuntur, & id quidem

quidem commune omnium fere est artium (CICERO
acad. primo. GROTIUS d. l. §. 3.) Inde quoque regula sup-
peditatur: *interpretanda sunt voces, prout artis regula po-*
scunt, v. gr. in negotio mensuratorio pone, quod vox
pes occurrat, cui vulgaris sensus tribui nequit, ein Fus,
certum potius spatium significat in suis dimensionibus vel
longitudine, ein Schuh. Est autem polysemum pedis
nomen & ad plura alia transfertur, id quod SENECA no-
tat de beneficiis 2. 234. *ingens*, inquit, *copia est rerum sine*
nomine, quas non propriis notamus appellationibus sed aliis com-
modatisque, pedem & nostrum dicimus, & lebli, & veli, &
carminis: canem & venustum & marinum & sidus. Sic voces
majestas, parcidium, haeres suus & Tyrannus &c. intelligi
debent secundum definitiones JCtorum & Politicorum,
non Grammaticorum (THOMAS. Jurisprud. div. l. 2. c. 12.
§. 18.) & fit aliquando, ut vocabula hujus vel illius artis
diversimode definiantur a diversis, circa hoc PUFEN-
DORF. d. l. observationem tradit, quæ extra oleas. Non
pertinet ad officium artificis sed loquentis vel scribentis
(TREUER in n. 2. ad §. 3. d. l.)

* Hinc in sectionibus legalibus fides habetur attestatis Medico-
tam, artis peritorum juxta ac prudentum: ubi præter BOH-
NIUM, ZACHIAM aliosque, Exper. ac celeb. Dn. D. HIL-
CHEN de vulnerum in intest. lethali. & Dn. D. MAUCHART
de sectione legali dissertationes leg. commendo, harumque Au-
tores honoris ergo allegatos volo.

§. XXIV.

Interpretatio non modo explicatio est mentis alie. Interpretatio
nx, (§. 18. 19.) sed præsertim etiam dubia & obscuræ, ^{mentis alienæ}
ubi verborum proprietati inhærendum est, ita ut gene ^{obscuræ &}
ralia ^{dubia.}

C

ralia generaliter, specialia specialiter intelligantur. Autore sive Lege non distingue, nec nos distinguere debemus, unde vero proprietas colligenda docet Anonymus de JCto perfecto c. 4. Rem dubiam cum primis reddit obscuritas (§. 14.) quæ inter vitia Sermonis maximum fere est, huius finem destruens. Causam obscuritatis sapientius in interprete ipso deprchendi docet BVDDEVS d. l. p. 2. c. 2. §. 28. nostramque etatem multos istius generis interpres atere testis est proh dolor! experientia cottidiana, qui ex præjudiciis autoritatis exponunt impudentibus, quo minus veram assequantur autoris mentem; cui vitio accedunt præjudicia ex commentariis hausta (narrarunt patres, ergo narrabimus omnes) DANN. HAVER in Idea boni interpretis, animo, inquit, interpretandi desistuntur, qui ex commentariis potius malunt ipsos autores, quam commentaria ex autoribus exponere sive qui ne latum unguem ab aliorum laboribus discedere malunt. Quid? quod? virtutum comes est neglectus fontium & in primis historiæ cuiusque disciplinæ. Quivis adeoque interpres hæc vitia una cum callida iuxta ac malitiosa interpretatione ne sumum jus summa fiat injuria (CIC. de off. l. 1. c. 10.) canæ pejus & angue fugiat.*

T. Hinc interpreti legitime ad officium sese accingenti opponitur calumniator, qui sciens sermoni falsam & saepe contraria adsingit intentionem, id quod gravis dicitur παρεγγυεύσις. Cavillationes in explicandis Legibus publicis prohibitas deprehendimus in instrum P. W. art. 5. §. 10. D. OERTEL d. l. c.

§. XXV.

§. XXV.

Ne vero actum agam obscuritatem hujusque causas varias definiendo enarrandoque , quas WALCH. in *causa.*
Lex. philos. voce Dunckelheit & THOMASIVS in log. pr.
c. 3. §. 36 . . . 55. recensent , unius vel alterius mentionem saltem faciam , quas inter AMBIGUITAS est , quæ plures admittit significatus , ut non constet , quis sensus sit loquentis , exemplo esse potest nugatoria illa puerorum piscatoriorum quæstio , quæ Homero (HERODOTVS in vita Homeri c. 35.) proposita dicitur. Quærebant , quid esset , de quo dici posset:

*Quæ capimus relinquimus ,
 Quæ non capimus , referimus.*

Homero hæc verba in sensu piscatorio accipienti sensum divinare verum non licuit. At statim ac pueri dicere , se pediculos intelligere , facilissima quæstio soluta visa fuit ; cuiusmodi quæstionis vicem quoque subit responsio virginis de matrimonio ineundo interrogatæ: *Istis auch Fragens vverth.*

Mens non dependet a verbis , sed verba a mente.

c. human. II. cauf. 22. q. 5.

Ambiguitatem excipit brevitas nimia , dum brevis esse volo , obscurus sio ; cui adjungenda verba obsoleta , nova , peregrina , defectus interpunctionum &c. (BOEHMER d.l. §. 12. sqq.)

§. XXVI.

Ubi obscuritas , ibi ad eruendum genuinum sensum De conjecturis
 conjecturis opus est. Interpretatio enim plerumque ntitur

titur conjecturis verosimilibus (§. 14.) ex his cum judicemus, sequitur, 1) ut interpretatio non semper gignere possit cognitionem philosophice certam & demonstrativam 2) ut quilibet, quamdiu aliae & quidem clariores non extant rationes statui suo convenienter loqui velle presumendum sit. Præsumptionum fundamentum est probabilitas (§. 14.) prout hæc suos habet gradus; ita quoque una præsumptio fortior altera (MENOCH de *præsumptionibus*).

f. XXVII.

*Unde peti
debeant
conjectura.*

Obscuritati medela adfertur per conjecturas probabiles (§. 26.) conjecturæ vero peti debent 1) ex materia substrata, quæ objectum illud audit, de quo sermo est v. gr. Cancer habet triplicem significatum (§. 25.) modo denotat animal aquatile, modo morbum mordacem, modo signum in Zodiaco. Ubi sermo est de morbis; ibi cancer denotabit morbum mordacem & sic porro. Cancer significat animal domesticum, signum in Zodiaco, canem in æquore, inde versus:

Lairat in orbe canis, nat in æquore, fulget in astris.

Quis vero est, qui in Astronomia vocem canis pro animali accipiat domestico, contrarium suadet materia substrata (THOMASIUS *Jurisprud.* div. l. 2. c. 12. §. 48 - 56. REINKING. de *R. S. & Eccles.* l. 1. cl. 1. c. 1.) GROTIUS exemplum suggerit de pactis iudiciis d.l. §. 5.) Talia adeoque sunt subjecta, qualia permittuntur esse a suis predicatis & vice versa (HEINECCIUS *Elem. Log.* §. 242.) & illud pro forma rei subjectæ proxima habendum, quod in oratione tanquam primarium & constitutivum requisitum

situm propositum ac exhibitum fuit (OTTO *dial. iur. l. r.*
c. 6. §. 3.) conjecturæ peti debent 2) ex effectu (GRO-
 TIVS *d. l. §. 6.* PVFENDORF *d. l. §. 6.* nec non 3) ex lo-
 cis parallelis, sive ut alii volunt ex conjunctis vel origine
 vel loco.

§. XXVIII.

Conjuncta origine sunt, quæ ex eadem voluntate proficiuntur, alio quoque loco & occasione dicta, unde conjectura nascitur, quia in dubio voluntas creditur sibi fuisse consentiens, unius quippe ejusdemque hominis obscurum dictum vel scriptum interpretandum est ex ipsius dictis clarioribus alio licet tempore & loco prolatis. Sic in testamento dum obscure quis locutus est, videntur, an non alia scripta extant, quibus extantibus parallelismus instituendus erit (CICERO *de invent. l. 2. in qua, inquit, sententia quis fuerit, ex aliis ejus scriptis, dictis, factis, moribus & vita intelligitur, nisi manifeste appareat, ipsum sententiam mutasse*) KLEINSCHMID *d. l. p. m. 255.* THOMASIVS *d. l. l. 2. c. 12. §. 52 - 64.* Ad conjuncta loco quod attinet, obscuriores locutiones ex sensu in ejusdem sermonis loco aliquo plano ac perspicuo sunt interpretandæ, attendendumque insuper ad antecedentia & consequentia THOMASIVS *log. pr. c. 3. §. 72. sqq.* Antecedentia & consequentia recte expendere, tam est interpretati necessarium, quam lineam rectam facturo totam lineam intueri vel regulam in hunc finem usurpare. L. 24. ff. de LL.

§. XXIX.

Conjecturæ quoque petuntur ex ratione (GROTIUS *d. l. §. 8.* Quæ causa impulsiva & finalis est, ad decla-

randam opinionem vel dictam vel scriptam movens, diciturque anima, radix, normaque, ad quam verba (§. 20.) & sensus debent applicari. Vbiique ad rationem & intentionem (§. 25.) autoris respiciendum est, indeque verba vel extendenda vel restringenda sunt (§. 17.) extendi debent, ubi par ratio, quia ibi par dispositio v. g. Lex est, ut nemo militum fugiat, non fugiunt, sed detrectant pugnare, intuitu hujus omissionis eadem poena afficiuntur, qua propter fugam fuissent affecti. Lex prohibet, quo minus lana vel frumentum e regione exportetur, sempronius non quidem lanam vel frumentum sed oves ac farinam exportans, poenæ obnoxius erit ob identitatem rationis, annonam. Extensio quoque locum habet in eo, quod commissum est in fraudem legis v. g. statuta academ. prohibit, quo minus quis studioso pecuniam mutuo det sub poena amissionis, Judæus H. alias res fungibles mutuo dans poenæ obnoxius est. Restrictio vero adhibetur propter defectum voluntatis, qui cognosci potest ex absurdo L. 19. ff. de LL. L. 25. C. de don. inter virum & ux. nec non ex defectu materiae v. gr. Princeps concedit nobili feudum pro se & suis heredibus, hic concessio restringenda erit ad mares, quia foeminae feudorum incapaces sunt L. 67. ff. de R. I. (STRUVIUS Synt. J. F. c. 8. apb. 8. n. 10. ex repugnantia denique casus emergentis cum voluntate v. c. Lex est, ut murus transiliens capite plectatur, sempronium transilientem animo liberandi urbem poena nunquam manebit. Et quanquam alii existiment, fictitiam & que ac cerebrinam esse distinctionem interpretationis in declarativam, restrictivam ac extensivam; tamen fidem non merentur, definitionibus namque

que suppeditatis quilibet rem penitus intuiturus logomachiam animadverteret. In terminis simus faciles, modo in re convenientiam; in casu namque, vbi paritas rationis, locum habere interpretationem comprehensivam, & vbi ratio cessat, tacite quid eximi defectumque voluntatis innui volunt. (EYBEN de interpr. leg. ad pias causas inform. dub. §. 3.) nonne in iisdem fontibus comprehensivam alteramque interpretationem ponunt, quos in hac §. suggestissimus?

§. XXX.

Vbique ad sensum legis, rationem & mentem auto-
ris respiciendum est (§. 29.) in interpretatione secundum *sec. Aequitatem idem observari debet. Nemo adeoque infici-*
tem.
as ibit, hanc ex propositis in §. anteced. estimandam esse.
Sensum legis, rationem & mentem autoris, qui limitat,
ampliat, distinguit, adfingit, non interpretatur, (§. 14.)
sed novam inducit formam. Et sic vel nova voluntatis
declaratio (§. 19.) vel cavillatio (§. 24.) proditur. Qui-
vis interpres secundum aequitatem adhibeat diligentiam,
ut jus semper ex facto secundum circumstantias ejus, sen-
sus sermonis vel ore vel scripto prolati vero secundum
mentem autoris & rationem recte colligatur, exponatur
(§. 29.) caveatque insimul, ne collectio sit cerebrina, quam
plurimi hodienum subeunt (BOEHMER d. l. §. 24. THO-
MASIVS de aequitate cerebrina TREVER in nota ad Puf.
d. l. §. 12.) Male Pufendorf aliisque interpretationem
secundum aequitatem adfingunt LL. naturalibus, quæ in
perfectionibus radicatae sunt divinis, & nec deficiunt, nec
ulla correctione opus habent. Leges quidem Civiles ex
equi-

æquitate naturali temperari possunt, quatenus temperamentum menti, rationique LLatoris conforme redditur. HERTIVS hinc rubro vsls est: doctrina de æquitate, cum Leges naturales temperare doceant rigorem LL. ci-vilium. (BUDDEUS phil.pr. S. 1. c. 4. §. 10.)

§. XXXI.

*Defavoribili-
bus & odiosis* Quod favorabilia & odiosa, actus b.f. & stricti ju-
ris concernit, quorumque GROTIUS d.l. à §. 9 - - 12. mentionem facit, ad jus referri debent ciuale; Vbi se-
quentes subministrant plerique DD. regulas: *Odiosa stri-
cte, favorabilia late esse interpretanda, privilegia intuitu prin-
cipis latissime, intuitu vero tertii strictissime colligi.* Con-
tra has regulas recte insurgunt BARBEYRAC, OTTO &
THOMASIVS, incertæ namque sunt ac inutiles: hinc
haut abs re illas TITIVS appellat nasum cereum *in obs.
428. 429. ad Puf. d.l.)* Odiosa sæpe extendenda (sic
crescentibus delictis exasperandæ & extendendæ sunt pœ-
na) & favorabilia arctanda esse (sic concessa venatione
simpliciter transit minor & concessa jurisdictione
simpliciter competit bassa) ostendit MEIER *Diss. de favo-
re & odio*, SCHILTER *ex. o. tb. 10. STRYK. U.M. §. 13.*
de jurisd. Cum porro nihil ex omni parte favorable aut
odiosum sit, quævis potius res utrumque diverso respectu
comprehendat; mixtum hoc vero latius & strictius simul
sumi absurdum esset: Ita regulæ quoque non procedunt,
nemo enim absurdum velle judicatur, id quod ipse PV-
FEND. d.l. §. 11, docuit. (BUDDEUS phil.pr. c. 4. S. 4.
§. 25.)

§. XXXII.

§. XXXII.

De antinomiis , pactis collisivis aliisque interpre-
tandi regulis agit BOEHMER d.l. §. 31. seqq. GROTIUS
& PUFENDORF d. l. HERTIUS de collisione Legum.
RINCK. de collis. LL. natur. GROTIUS diff. de aequitate, alio
rumque multi ; quibus annexendum duco , quod regulæ
a PUFENDORFIO §. 13. d. l. politæ : obligationi perse-
cta cedere imperfectam : nullum addere possim calculum al-
bum. Omnem quippe obligationem perfectam esse existi-
mo, id quod me docuit supra laudatus cognatus HALL.
WACHS in diff. de Legibus, docet ratio, docet quoque de-
finitio obligationis, quæ audit connexio actionis cum mo-
tivo ex voluntate imperantis & legis petitio. Nulla obli-
gatio sine lege , nulla lex sine superiori. Ubi adeoque
lex, ubi voluntas superioris , ibi obligor , & dum præ-
ceptum omitto , poena afficior ; obligatio imperfecta ad-
eoque nihil aliud est quam contradiccio in adjecto. Ap-
pelletur scapha scapha , & obligatio imperfecta offici-
um humanitatis; tunc evitabitur absurdum & contradi-
ctorium , quae bonus interpres cane pejus & angue fu-
gere tenetur.

§. XXXIII.

Cum adeoque finis omnis interpretationis sit, ut sen- De mediis
sum autoris divinando assequamur, quem ipse verbis non hermeneuicis,
sufficienter expressit (§. 14. §. 24.) finis vero absque mediis
obtineri nequeat ; hinc omnes ingenii nervi interpre-
bus intendendi sunt ad horum cognitionem adquirendam.

D

§. XXXIV.

*Antinomiarum
pactorumque
collisivorum
explicatio.*

§. XXXIV.

*Media phis.
iologica.*

Quatenus igitur materia in lingua alia quam vernacula nostra dicta vel scripta explicanda est, cognitio linguae duplex requiritur partim GRAMMATICA (§. 17.) quæ subsidiis lexicorum & artis grammaticæ nititur, ubi Etymologiz. Orthographiz., constructionis; partim FUNDAMENTALIS ubi adagiorum apud quamcunque gentem receptorum ratio cumprimis habenda est, (MOR. HOF. polyb. l. I. c. 21.) Neque vero omne tempus in lexicis &c. terendum erit, perlegendi potius præterea sunt ipsi autores; quorum omnes idiotismos & scribendi genium Lexica tradere nequeunt, sed præmonstrata via manu quasi ducunt ad ipsam lectionem. Ubi medium hocce phileologicum adhiberi debet, peritia sane lingue requiritur, operaque interpreti danda, ne excogitatos ab aliquibus characteres vel verba efficta, sed linguas sibi ad interpretandum conducentes memoria imprimat, & ut lingua rite calleat, necessaria est 1.) cognitio usus quorumlibet vocabulorum, de quibus queritur, usas diversi eorumdemque abusus, structuræ quoad genium lingue & idiotismorum 2.) requiritur, ut discernantur voces alienæ a propriis, Obsoletæ a novis, usitatæ ab inusitatib; & rarioribus, impuræ a puris. 3.) Opus est studio calligraphiae diversæ, cuius usus latissime patet, ubi monumenta antiquitatis manuscripta sunt pervestiganda. Quibus adjicendum est, veteres vel Grammaticos vel Lexicographos, Criticos item ac Scholiaстas, ubi haberi possint, recentioribus esse præferendos.

§. XXXV.

§. XXXV.

Quatenus interpretatio est logica (§. 17.) eatenus medium quoque suppeditatur logicum , cui materia idearum & propositionum inservire debet (CLERICVS in op. phil. leg. c. 4. & 5.) interpres noscere debet conditionem loquentis, hujus statum tum physicum tum moralem, quo referri possunt, Sanitas corporis, sensuum integritas , aetatis mensura , judicii , ingenii memoriaque facultas, (WALCH d. l. voluntatis vel quieta vel turbulentia constitutio, affectus , quomodo huic stylum attemperaverit, qua indole fuerit, an in dicendo humilis & familiaris, ut in Comicis , an sublimis , ut in tragicis , an brevis aut prolixus , an vehemens aut remissus, quibus artibus fuerit innutritus , locus , tempus , fortuna , vivendi conditio &c. Summatim, quot dari possunt relationes hominis (LOCK. de intellectu humano CLERICVS d. l. c. 6. p. 3.) aliter loquuntur divites, aliter pauperes , aliter docti , aliter indocti , aliter amantes, (insipientes) aliter odio incitati , aliter judiciose , aliter ingenio memoriaque prædicti. Sermo haut abs re character hominis locupletissimus existit.

§. XXXVI.

Interpres logicus quoque lance ponderare debet æqua finem sermonis (§. 29.) quippe qui ex natura negotii loquenti vel scribenti semper ob oculos fuisse præsumitur (§. 27.) quo medio logico nituntur media juridica, media, theologica, (§. 17.) Quanquam vero medio logico respondeat medium historicum ; coronidis tamen loco pauca de hoc adjicere satius duxerim.

D 2

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Medium historicum. In historicis nimirum argumentis interpres vel *ma-*
xume sollicitus esse debet de cognitione Genealogia, Chro-
 nologia, * Geographia, artis heraldica † numismaticæ *
 & diplomaticæ ‡‡ (dolendum sane quod scientiæ hæ a ple-
 risque flocci habeantur) his cognitis verus autor a spurio
 dijudicari potest. Videndum in loco, cui autoris nomen
 non præfixum, an nomen alibi adscriptum, an eodem
 stylo uti alias consueverit. Ratio habenda circumstantia-
 rum historicarum temporis, locorum, quæ si autori non
 respondent, scriptum erit supposititium, (CONRINGI-
 VS in censura Diplomatis Lindav. MABILLONIVS de re
 diplomatica. ECKHARD. introduct. in rem diplomat. præcipue
 germ.) Ars critica non est contemnenda, criticus nam-
 que abbreviationum varias figuræ harumque ac verbo-
 rum incisorum & capitum distinctiones in exemplaribus
 antiquissimis observare debet. Sollicitus est criticus, ut
 suo loco singula restituat; subsidio hic esse debent codi-
 ces antiquissimi MScti, qui iterum ex propriis characteri-
 bus, literarum, ligaturz, chartæque conditione dijudi-
 candi, textus cohærentia, locorum aliorum ex eodem
 autore collatio, loci ad marginem adjectio, verisimili-
 tudo, testimonia antiquissima. Interpretes historici soli-
 citi sint porro de autoris donis naturalibus, studiis, pe-
 culiari ingenii dispositione, affectibus, ** moribus, qui
 ea atate, qua autor vixit, fuere, stylo tunc temporis u-
 sitato, cuius cognitio magnam fructuum segetem secum
 fert in dignoscendis chartis, locis parallelis, & analogia.
 Et sic quoque B. L. facillime intelliget, quare interpreta-
 tionis

tionis usualis supra mentionem non fecerim. Aut enim quæstio est de usu ac moribus ejus ætatis , qua autor , cuius dicta vel scripta interpretanda sunt , vixit , ubi locum habet interpretatio historica ; aut de moribus recentioribus usque nostri seculi v. gr. in LL. materia , ubi nova potius consuetudo + & mutatio legis adpareat , mores enim derogare LL. extra omnem dubitationis aleam possum est , & sub hac distinctione interpretationem quoque rejicio usualem.

* Historia in omni explicatione adeo necessaria est , ut plus quam mille commentarii interdum prestare possit ; respicitque vel occasionem vel causam scriptorum . Est quandoque nominum difficultorum , difficilia vero evolvendo circumstantias ex poetis & historicis redduntur faciliora . Neque minus utilis est historia temporum , quæ dicitur Chronologia (CHYTRÆVS in Chronologia) locorum , quæ e Geographis petenda cum aliquis tum recentioribus .

† Heraldicæ) quæ vocatur scientia insignium ab Heroldis , quibus incumbit , ut curam insignium personarum illustrium pariter ac inferioris nota suscipiant . HOEPPING de jure insignium . SPENER de historia insignium illustrium seu operis heraldici partes speciali . Necessitatem , utilitatem , ulrumque ostendit de LV-

DEWIG in der Erläuterung der gütlichen Bulle P. 2. pag. m. 1519 Es ist bekannt , daß heut zu Tag unter allen Völckern das Wapenrecht in dem Gang ist und öfters wegen Führung einer Flacken oder Wapens große Ohnlust und manchesmahl gar blutige Kämpfe entstanden seynd . In dem Römischen Reich absonderlich hat man auf diese Gerechtsame jederzeit dessto mehr gesehen , weil derjenige , der seinen Schild , Helm , D 3 Nahm

Nahmen, Farbe und Würde vermehren, verändern oder verbessern wollen, solche Freyheit ehedem lieber von dem Keyser als dem obersten Haupt der Christenheit / dann andern Königen herholen wollen. So ist auch außer dem jeder Landesherr dahin bedacht, daß mit dergleichen Symbolis unter seinen Vasallen kein Spiel getrieben, oder durch Ohnordnung alles untereinander geworffen werde. Welchemnach folget, daß die Gerechtsame der Wappen, und was dem anhänglich, in das jus gentium publicum und feudale zugleich lauffen; und einem Gelehrten, aber noch mehr einem Vasallen allerdings zu verdenken, wann dieser sich in seinen eigenen Gedern nicht kennet, und wann ein Zweifel darinnen vorkommet, davon keinen Grund weiß. Wer nur den einigen HOEP-PINGK de jure insignium gelesen, der wird leichtlich die Wichtigkeit des Werkes sehen und finden.

* *Numismaticæ*) *Supervacaneum puto multa de Numorum usu dicere, cum EZECHIEL SPANHEMIVS in tractatu eruditio de usu et præstantia Numismatum latis superque demonstraverit, quantos usus res Numaria habeat in Historia, Chronologia, Geographia, nec non in aliis disciplinis majoribus. Licet ipsa res numaria ad ipsam constitutionem disciplinarum nihil conducat; attamen nulla fere existit disciplina, quæ nihil de re Numaria capiat illustrationis.*

†† *Velitatem artis diplomaticæ pariter ac necessitatem ostendit experientia cottidiana, exponuntque ECKHARD, MABILLON d. l. alisque. Legum fundamentalium, aliorumque mediorum, quibus interpres Jur. publ. uti debet, mentionem facit ill. MOSER in Comp. Jur. publ. L. 1. c. 2. sq. Dn. OERTEL in diff. allegata de ratione interpretandi Leg. imp. Rom. Germ. publ. quam sub*

sub prædio celeb. CHR. GODOFR. HOFFMANN publico
Lipsiæ subjicit examini.

** Animus affectibus occupati potest, ut nec recte rationi locus
relictus, nec diligentia necessaria adhibita fuerit. Odio, tri-
stitia, ira, amore, philantia multi præcipitantur. Affectus
obfuscant intellectum, corrumpuntque, ut ideas recte judicio
subjicere nequeat. Ratio præsit, affectus obtemperet. (PVFEN-
DORF lib. 1 c. 5. § 6. d. l.)

† Optima LL. interpres est consuetudo sive usus & observantia,
perillustris de SENCKENBERG patronus ac præceptor omni
observantia demerendus diff. de observantia be. monet: Mo-
rum semper amantes germani, morum præcipua cura, mores
loco legum, omnia ex moribus. Boni mores plus valuerunt quam
multa leges Tacitus germ. c. 19. observantia ut interpres ratio-
nem habeat semper necesse est. AVTOR in Thes. inauguralibus
de jud. cent. & provinc. ch. 20.

§. XXXVIII.

Ordinis rerum* præterea habere rationem juvabit in *Ordo rerum.*
interpretē, cum rite observatus de autoris scopo & con-
clusionē facere nos possit certiores. Qui si ab autore in-
dicatus fuerit, præ ceteris sequendus erit. Sedulo hinc
perlustrandæ sunt præfationes. Quodsi vero accidit, ut
nulla ibi ordinis, quo autor explicandus ulus est, men-
tio fuerit facta, sèpius ille fugitivo, uti ajunt, oculo
perlustrari insimulque animus acriter intendi debet ad sin-
gulorum connexionem, num autor de eadem materia, num
de plurimis eodem egerit libro.

* Cui contradistinguitur ordo verborum, qui supponitur & pe-
titur ex subsidiis grammaticis, inter quæ est verborum constru-
ctio & varia transmutatio. (§ 34.)

§. XXXIX.

§. XXXIX.


*Præsumtionum
collisio.*

Et quemadmodum interpretatio signis ut plurimum probabilitibus nixa existit collectio (§. 14.) probabilitas vero fundamentum est præsumtionum; (§. 26.) ita ut interpres bene perspecta præsumtionis cognitione nec prius nec antiquius quidquam habeat, necesse erit. Sapientius quippe accidere potest, ut collisio (§. 32.) præsumtionum manifestetur, ubi præter regulam dictam (§. 28.) alia interpretationi inservire debent, quas Illustr. D. BOEHMER in Dissert. lectu dignissima de collisione præsumtionum tradit.

§. XL.

Hisce multa annectere potuisse ac debuisse. Sed quoniā angustia pagellarum subsistere me jubet, hic non finio, filum saltem abrumpo reliqua suo loco & tempore expositurus. Hac adeoque sufficiant, pes figatur, laborique nostro qualicunque imponatur.

FINIS.



XXXIX

Ne

um
ve.
in-
ius
ip-
na-
ver-
ER
dit.

Sed
on
po-


3

C

Ke 104



B.I.G.



7-10. num. 5
784

IOH. CONR. HALLWACHS
JUR. LIC. JUDICII CRIMINAL. ASSESS.
PERILLUSTRIS REGIMINIS ADVOC. ET
PROCURAT. ORDIN.

COMMENTATIO LOGICA
DE
INTERPRETATIONE
PER OMNIUM DISCIPLINARUM FUNDUM
GRASSANTE NECESSARIA PROFICUA EX
GENUINIS PRINCIPIIS PROPOSITA.

G I E S S Æ, Kc 104
Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.
MDCCXLV.

